JULII PONTEDERÆ

Itali, Professoris Botanices Patavini

METHODUS à COROLLÆ FIGURA.

1. *Tournefortii* assumsit methodum Clarissimus Author, eamque emendare solum adgressus est.
2. *A Gemmis* plantarum primariam subdivisionem petit, qua eas in *Gemmiparas* & *Gemmis carentes* dividit, sub his Herbas, sub illis vero Arbores comprehendens: est enim Gemma pars plantæ, at duratio solum accidentale quoddam.
3. *Imperfectos* dicit Tournefortii Apetalos, eosque in duos ordines distribuit, in *Filamentosos* scilicet, a stylo sic nominatos, quibus Gramina, Juncos, Rumices, Poterium comprehendit, & *Apetalos* proprie sic dictos, quibus Arum.
4. *Cauupaniformes* distribuit in quatuor ordines: in *proprie* sic dictos, *Tubulatos*, *Globosos* & *Patentes*.
5. *Conglobatos* vocare amat plantarum flores, quos alii Compositos dicunt.
6. *Liliaceos* Tournefortii ad diversas classes trahit Author; *monopetalos* partim Campaniformibus (6), partim Infundibuliformibus inserens, solos *polypetalos* pro Liliaceis (15) agnoscens.
7. *Amentaceos* expungit, eorumque loco *Filamentosos* (20) gemmiparos inducit.
8. *Arbores* omnes *flore monopetalo* conjunxit sub eadem classe Tournefortius p. 363 & 364. has verò secundum corollæ figuram, ex assumtis principiis in Herbis, distinguit Author in plures classes. 22. 23. 24. 25.
9. *Incipit* Cl. Author ab imperfectis, & *progreditur* ad perfectiora; hinc apetalos antequam petalodes, irregulares antequam regulares assumit.
10. Methodi hujus delineationem generalem in *Dissertationibus* proposuit; Systema vero ipsum etiamnum non absolvit Doctissimus Author.
11. Eo præsertim a Tournefortio dissentit Author noster, quod principia assumta absoluta existimat, at Tournefortius magis de classibus naturalibus obtinendis sollicitus fuit.

PONTEDERÆ *Dissertationes Botanicæ*. Patav. 1720. quarto.

Clavis methodi Pontederianæ.

Plantæ sunt vel

- Incertæ — *Incertæ* 1
- Certæ
  - Gemmis carentes
    - Destitutæ floribus — *Floribus destitutæ* 2
    - Donatæ floribus
      - Imperfectis — *Imperfecti* 3
      - Perfectis
        - Monopetalis
          - Simplicibus
            - *Anomali* 4
            - *Labiati* 5
            - *Campaniformes* 6
            - *Hypocrateriformes* 7
            - *Rotati* 8
            - *Infundibuliformes* 9
          - Conglobatis
            - *Flosculosi* 10
            - *Lingulati* 11
            - *Radiatis capitulis* 12
        - Polypetalis
          - *Anomali* 13
          - *Papilionacei* 14
          - *Liliacei* 15
          - *Caryophyllæi* 16
          - *Cruciformes* 17
          - *Rosacei* 18
          - *Ros. Umbellati* 19
  - Gemmiparæ, floribus
    - Imperfectis
      - *Filamentosi* 20
      - *Apetali* 21
    - Perfectis
      - Monopetalis
        - *Anomali* 22
        - *Campaniformes* 23
        - *Rotati* 24
        - *Infundibuliformes* 25
      - Polypetalis
        - *Papilionacei* 26
        - *Rosacei* 27

TOUR-

TOURNEFORTIANÆ Methodo plurima alia genera adjecerunt varii insignes Botanici, ea tamen omnia recensere studiose superſedeo, ut purum, nec immutatum Illustris Tournefortii proponam syſtema; inſerui itaque huic ſola *Plumeriana* genera, utpote a Tournefortio ipſo viſa & adprobata; vide reliqua L. I. apud *Valantium*, *Dillenium*, *Michelium*, *Pontederam*, in *Actis Pariſinis* &c.